



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

VI. Locus Eusebij mutilus in codice quem Socrates sequebatur. Labes illa manifesta; quæ collato Gelasij codice facilè deprehenditur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

interpolata, in quibus referretur Osum Cordubensem, Vitonem & Vincentium Romanos Presbyteros, vice Silvestri Romani Episcopi interfuisse, ipsūque Eustathium Antiochenum; Alexandrum verò Presbyterum vice Metrophanis Constantinopolitani, qui decrepita senectute laborabat, synodo adfuisse. Quam sententiam ipse Phorius suffragio suo probavit in epistola ad Michaëlem Regem Bulgarorum; ubi legationem à Silvestro injunctam fuisse Cordubensi Ofio & duobus Presbyteris Romanis scripsit.

V. Sed testimonio Gelasij opponitur non solum Eusebij editio, quæ hodie extat, sed etiam illa quæ Socratis historici tempore, qui paulò antiquior est Gelasio, manibus omnium terebatur; à qua verba illa de legatione Ofij, Vitonis, & Vincentij omnino absunt. Ita se habet locus Socratis: *Eusebius libro tertio de vita Constantini hæc ait ad verbum: Ipsæque ex Hispanis valde celebratus, cum aliis multis confedit. Urbis verò illius quæ imperat Episcopus, propter senectutem non adfuit. ipsius vero Presbyteri qui aderant, ejus locum supplevere.* Αὐτός τε Σπανδὸν ὁ πᾶν βοάμενος, εἰς τὴν τοῖς πολλοῖς ἀμὲν συνεδρήσαν. τῆς δὲ γὰρ βασιλευσσοῦ πόλεως ὁ μὲν παρρησίας, διὰ γῆρας ὁ σῆμα. παρρησιώτεροι δὲ αὐτῶν παρόντες, τὴν αὐτῶν ἑλπίδα ἐπλήθυνον. Quin etiam Sozomenus atque Theodoretus hanc Eusebij lectionem quæ à Socrate profertur secuti, Ofij nulla mentione facta, Pontificem Romanum ingravescente ætate præpeditum ne synodo interesset, duos Presbyteros delegasse scribunt; quos Vitonis & Vincentij nomine Sozomenus designat. Ex horum trium historicorum testimonio duo quædam colliguntur, quæ hanc disceptationem profunda veluti caligine involvunt. Vnum est, legationem Ofij in codicibus Eusebij, quibus illi utebantur, omnino dissimulatam. Alterum, legationem Romani Pontificis ad duos Presbyteros à Sozomeno & Theodoro restrictam. quod legationem omnem adimit Ofio. Non me lateret viris eruditis placuisse distinctionem quandam Legatorum, quos in externos dividunt & internos; ita ut de solis internis & veluti domesticis Ecclesiæ Romanæ Legatis à latere Pontificis missi loquantur Theodoretus & Sozomenus. quod legationi Ofij non detrahit, quam ex mandato Papæ & Synodi Occidentalis gerebat. Sed distinctio ista in sexta Synodo initium sumpsit, ut dicemus suo loco.

VI. Verum, ut sine ullo partium studio eloquar quod sentio, locus Eusebij in vulgatis editionibus mutilus esse mihi omnino videtur, quod ante me professus est vir eruditissimus Ioannes Morinus. Illam verò labem

nolim audaciæ Græculi cujusdam adscribere qui è Socrate & Eusebio verba illa eraserit, cum è Theodoro & Sozomeno constet illorum ætate codices Eusebij & Socratis vitio illo laborasse, ut statim dicam. Proclivis error ex amanuensium incuria, qui unum aut alterum versum inter exscribendum omiserunt. Neque enim in verborum immutationibus, sed in pericope unius omissione error iste versatur. Fatendum quidem est absque subsidio melioris codicis labem illam deprehendi non posse; ita ut de negligentia Socratis, Sozomeni, & Theodoretii nemo conquiri possit, neque de illorum bona fide aliquid sinistra suspicari: qui si codices integrioris nacti fuissent, veram lectionem non dissimulassent; quemadmodum neque Gelasius Cyzicenus eam dissimulavit. Sed profiteri ausim ex indicio Gelasij, facillimum esse cuique non obtusi omnino ingenij viro hiarum illum apud Eusebij codices vulgatos deprehendere. Quis enim non statim advertit aliquid deesse in his Eusebij verbis, *Ex Hispanis celebratus ille adfuit cum ceteris*? Quis tandem erit ille Hispanus, licet famæ celebritate conspicuus, si nomen ejus taceatur? Hoc loquendi genus aliquo pacto ferri posset in oratione panegyrica: quod tamen sine vitio usurpari non potest in historia, quæ virorum illustrium nomina posteritati commendare debet. Si consulatur Gelasij codex, statim labes illa deprehenditur. Verbis enim illis generalibus Eusebij subjungitur Ofij nomen & legatio.

VII. Deinde si quis accuratè expendat Eusebium, cum agit de urbis regis Episcopo ob ætatem ingravescentem impedito ne synodo interesset, de Metrophane Constantinopolitano accipiendum intelligit, non autem de Silvestro Romano. Hic enim undecim annis superstes fuit Concilio Nicæno. Metrophanes verò morbo & ætate fessus, statim post synodum obiit; in cujus locum successus est Alexander; ut demonstratum est à viro doctissimo Ioanne Morino. Itaque Nicetas Choniates, emunctæ naris, hæc Eusebij verba ad Episcopum Constantinopolitanum referenda esse subodoratus est: *Eusebius Pamphili, inquit, in tertio libro vite Constantini abfuisse ait Episcopum Constantinopoleos ob senectutem, (sed illius nomen non declarat) illius verò locum tenuisse ejus Presbyteros. Sed Acta synodi referunt tunc Metrophanem Constantinopolitanum Episcopum fuisse, ob decrepitam verò ætatem non interfuisse Concilio, ejusque locum suppluisse Alexandrum.* Quam explicationem assecutus est ope Actorum Concilij Nicæni à Gelasio Cyziceno collectorum. Hoc subsidio destituti Theodoretus

Locus Eusebij esse mutilum apud Socratem probatur infra in Addit. ad caput 11. hujus libri, §. 5.

Socrates lib. 1. c. 1.

Sozom. lib. 1. c. 16
Theodor. lib. 1. c. 7.

Morinus lib. 1. Exercit. 20. pag. 143.

Nicænum